

N. 33.

A. D. 1310

(9 dicembre; Indiz. IX)

<i>Provenienza</i>	Cattedrale.
<i>Data di luogo</i>	Barletta.
<i>Rogatorio</i>	<i>Iacobus de Imbidia not.</i>
<i>Descrizione</i>	Taglio rettang: alt. m. 0,36; larg. m. 0,22. Piccole correzioni a d.
<i>Scrittura</i>	Gotica impiccolita.
<i>Contenuto</i>	Convenuti <i>ad domum Ecclesie S. Iacobi</i> , certo <i>Madias dictus Craparius</i> di Barletta, chiede ed ottiene dai frati <i>Iohannes abbas Montis Sacri</i> , <i>Palmerius prior ecclesie S. Iacobi</i> <i>Iacobus sacrista</i> di pagare tre tari in oro all'anno, invece della decima di vino mosto, sulle tre vigne quadraginali che possiede in <i>contrata Sancti Viti</i> .
<i>Bibliografia</i>	Inedita.

† Anno ab incarnatione domini nostri ihesu christi Millesimo Trecentesimo decimo Regnante domino nostro Roberto *etc.* Regnorum suorum anno primo. Mensis decembris die nono eiusdem octave (*sic*) Inditionis apud Barolum. Nos Iohannes Camberlingus Regalis Baroli Iudex, Iacobus de imbidia puplicus eiusdem terre notarius et subscripti testes liciterati ad hoc specialiter vocati *etc.* testamur, quod predicto die accersitis ad requisitionem factam nobis per partem Venerabilis in christo patris et domini domini fratris Iohannis dei gratia humilis abbatis Monasterii Montis Sacri. Ad domum ecclesie sue Sancti Iacobi in Barolo et presentibus ibidem cum eo fratre palmerio de Barolo priore predictae ecclesie Sancti Iacobi, et fratre Iacobo sacrista ipsius ecclesie, nec non Madio dicto Crapario de Barolo, dictus dominus frater Iohannes abbas dicti Monasterii montis sacri, coram nobis dicto Madio presente et audiente asseruit dictum Madium craparium tenere et possidere in pertinentiis Baroli in contrata Sancti Viti Vineas Tres Quadraginales iuxta vineas ecclesie Sancti Bartholomei iuxta vineas Magistri Bricii gramatici, iuxta vineas magistri Corradi, iuxta vineas domine Pasce, iuxta vineas Gerardi et iuxta alias vineas ipsius Madii a medio limite de quibus vineis debetur per eundem Madium heredes et successores suos possessores vinearum ipsarum dicto monasterio montis sacri ratione dicte ecclesie Sancti Iacobi in Barolo pertinentis et spectantis ad Monasterium supradictum, decima vini musti proveniente anno quolibet in perpetuum ex vineis supradictis, et exposito per eundem Madium coram eodem domino abbate, se gravatum esse ex huiusmodi prestacione decime musti vinearum ipsarum, eo quod dicte vinee inculte et pro maiori parte vacue sunt et quod causis premissis idem Madius dictas vineas impleri non intendit, et loco decime musti predicti; ipse Madius heredes et successores sui tenerentur dare et solvere eidem domino abbati, et successoribus suis seu ecclesie santi Iacobi supradicti census nomine vineraum ipsarum in festo Sancte Marie virginis de mense augusti anno quolibet in perpetuum in auro tarenos tres ponderis generalis, vineas ipsas dictus Madius coli et vitibus impleri faciet, quod dicte ecclesie et ipsi Madio cedet utilitati. Que omnia dictus abbas actendens et considerans *etc.* cum consensu et voluntate dictorum fratris palmerii et fratris Iacobi *etc.* remisit dicto Madio huiusmodi an-